



17. 60. 4.



12  
ACADEMIAE ELECTORALIS ERFORDIENSIS  
R E C T O R  
CVM  
SENATV ACADEMICO  
SACRA I. C. NATALIA  
PIE CELEBRANDA  
CIVIBVS INDICVNT.



---

INEST  
DE DVODECIM LAPIDIBVS IN IORDANIS ALVEO ERECTIS,  
AD IOS. IV. 9.

---

ERFORDIAE 1795.  
LITTERIS IOANN. CHRIST. GOERLING. ACAD. TYPOGR.



ACADEMIAE FRANCISCAE BRITANNICAE  
R. I. C. T. O. R.  
SINATU ACADEMICO  
SACRA J. C. NATALIA  
DIE CELEBRANDA  
CIVIBUS INDIGNIT.



ET PROCESSIONE LANTERNAE IN TERRAM SANCTAM  
AD IORIS J.  
LITTERIS JOHANNIS CHRISTI COELENING A. D. 1700







*De duodecim lapidibus in Iordanis alveo erectis,  
ad Ios. 4, 9.*

**L**aetemini, *Commilitones suavissimi*, de diebus instantibus festis, quos, volente anno, redire videtis, quosque religiosissime celebrare omnes sacris christianis deditos decet: his enim diebus memoriam natalium Istius, cui religionem nostram sacrosanctam et salutem inde exortam debemus, pia mente sumus reculturi. Quilibet quidem dies viro sapienti et bono festus est, quo Dei beneficia grato animo perpendit; attamen festorum dierum extraordinarium vilitas tanta est, et rationes eos solemniter celebrandi tam eximiae et illustres sunt, ut ad rite agitandos hos merito nos inuicem incitemus: his enim conuentibus publicis non tantum pietas et amor erga Deum accenditur, sed et animus erga homines integer atque sincerus confirmatur, immo vero memoria eorum factorum, quae christianis maximi sunt momenti, renouatur et cordi altius quasi  
A 2 incul-



in culcatur. Cum iam diem nostrum natalem recolamus, quo nobis via ad vitam incertam valdeque dubiam, ad vitam parum aequam tortuosamue patefacta est; quanto magis votiuae solemnitati dicare debemus hos dies, quibus memoria natiuitatis nostri saluatoris innouatur, illius scilicet diuini ducis, cuius doctrina atque factis nobis vitae via secuta aequae ac amoena panditur.

Cum ad festos dies superiores rite celebrandos Vos, *Commilitones humanissimi*, admoneremus, quater pauca de lapidibus hebraice inscriptis, quos hic inuenimus, praefati sumus; iam vero nonnulla *De duodecim lapidibus in Iordanis alueo erectis* agere apud nos constituimus. Capite nimirum quarto libri Iosuae versu vigesimo relatum legimus, Iosua in monumentum traductionis Israelitarum per Iordanem duodecim lapides ex alueo Iordanis delectos, et inde *Gilgal* usque deportatos, eo loco, quo Israelitae prima post transitum per Iordanem tentoria figebant, erexisse, quibus lapidibus collocatis et gratam tanti beneficii memoriam apud posteros seruandam et Dei reuerentiam commendandam esse sibi persuasit Iosua. Quae cum historia, capite quarto versibus 1—8. 10—24 fusius narrata, per se pateat, nec difficultatibus philologicis exegeticisue exposita sit, nihil ad hos versus adiiciendum putamus.

Attamen versus nonus eiusdem capituli quarti aliam enunciationem sistit, quae multis difficultatibus obstricta esse nobis videtur. Dicitur enim Iosua, Israelitas per Iordanem ducens, *in alueo huius fluminis duodecim lapides*

ex-



5  
exstrui curasse; omnes inde versiones et interpretes, quos inspicere et comparare nobis licuit, affirmant, *bis duodenos lapides* a Iosua esse erectos, *Gilgalis*, quo loco Israelitae prima post transitum castra metati sunt, et *in medio Iordanis alueo*, eodem vestigio, quo sacerdotes arcam foederis portantes steterunt.

Lector huius capituli attentus fortassis in sequentes difficultates nobiscum incurret:

I. Lapidum exstruendorum *consilium* absque dubio nullum aliud erat, quam ut *memoria* transitus per Iordanem *ad longum tempus* conseruaretur, quodque auctor expressis verbis dixit: v. 6 et 7. „lapides sunt ponendi in „monumentum aeternum, in memoriam sempiternam, אֵת הַזֵּכֶר עַד עוֹלָם“ ut mirabilem in Palaestina aduentum in mentem Israelitarum semper reuocent. — Quam diu autem durabunt lapides in fluuio et quidem torrenti tali, qualis est Iordanes? Nonne torrens hos lapides mox de loco suo mouebit? Annon crebri fluctus eos deuoluent? Num ne Iordanes undosus, liquescente niue Libani, ex quo defluit, validissime fluctuat? Num hi lapides magnis illis glaciei frustis prima aestate vehementer se iactantibus resistere possunt\*)?

A 3

Ad

\*) De natura et ratione Iordanis conferantur itineraria antiquiora et nouissima quaelibet, e. g. Radziwil, Maundrel, Hasselquist, Pococke etc., libri geographici: Cellarius, Reland, d'Anville, aut si placet nostrum Handbuch d. bibl. Lit., Tom. II, p. 432—440.



Ad firmandos hos duodecim lapides opere coementitio Israelitis festinanter et quasi fugaci pede per Iordanem transeuntibus tempus non erat. Conf. vers. 10. **וַיַּחְרֻר וַיַּעֲבִרוּ הָעָם וַיַּעֲבִרוּ** Et si Israelitae ipsi vel maximas moles rudesque fluctibus oppositas in alueo fluvii exstruxerint, quis est, qui de huius consilii vanitate non dubitet? Qui vero hacce de re nondum dubitet, adeat fluvium quemcunque extra ripas diffluentem, consideret ruinas, aggeres murosque inundatione contractos! Praeterea de talibus conatibus, quod lapides illi ope laterum alvei fundo inserti, seu fulcris palati et statuminati fuerint ab Israelitis, plane nihil dixit auctor, qui alias in rebus minutissimis enarrandis valde prolixus et verbosus est; paucis tantum verbis et quasi praetervolando hanc rem narrat, quin imo addit versu 10<sup>mo</sup> „festinanter transiit populus;“ ita vt credere debeamus, Israelitas, si lapides aliquos in alueo Iordanis posuerint, (loquor enim ex mente aliorum interpretum) hos raptim atque festinanter erexisse, qui modus agendi consilio proposito contradicit, nec opus *durabile* exhibere potest.

II. Secunda ratio ponendorum cipporum erat, *vt Israelitae eos viderent*, dicerentque posteris interrogantibus: „quid sibi volunt hi lapides?“ *hi* lapides sunt *testes* itineris per Iordanem istius, quo aqua defecit. Conf. vers. 6. et 7. **מָה הָאֲבָנִים הָאֵלֶּה**. Iam quaero, numne est credibile, lapides conspici potuisse in medio fluvii tam lati et patentis, qualis est Iordanes in vicinitate Ierichuntis, vbi Israelitae transgressi sunt? Lapidem enim sunt et aqua omnimode tecti,



tecti, et (ponamus eos per aliquantum temporis firmos stetisse) tam remoti ab utroque litore, ut eos nemo visurus sit. Nonne monumentum est mirum atque monstruosum quod latet?

III. Auctori libri Iosuae solenne est, non tantum facta, sed et Dei praecepta de factis peragendis narrare. Quam ob rem Dei mandatum de lapidibus e Iordane deportandis et Gilgalis ponendis versu tertio allegavit. De extruendis vero cippis in medio alveo Iordanis *nullam adest iussum*, nec verbis antecedentibus nec sequentibus; quod eo magis mirum est, quo insolentius et monstruosius consilium monumenti in torrente, aeternae memoriae causa, collocandi videri potest. Quid ita? Rei minus mirae, i. e. eleuandum lapidum Gilgalensium e Iordane deportatorum iussum diuinum *ter* citat copiosus libri auctor, versibus 3<sup>to</sup>, 8<sup>vo</sup>, et 10<sup>mo</sup>; quod est causae, cur mandatum negotii mirabilioris et maxime extraordinarii ne verbo quidem indigitauerit?

In omni historia nil simile nobis innotuit. Adsunt quidem monumenta in aqua stagnante, sed non in gurgitibus atque voraginibus profluentibus. Bene enim recordamur monumenti illius, quod in horto imperiali Sarscoe-Selo prope Petropolin in lacu seu piscina, in memoriam principis Orlouii, Turcicae classis apud Tschesme anno 1772 victoris, Catharina II. extrui curauit, quodque exhibet columnam naualem rostris nauium ornatam.



IV. In tota huius facti narratione, in toto capite quarto *de uno tantum monumento*, Gilgalensi sermo est, si discesserimus a versu nono. Nexus, ratio et consilium vnum tantum monumentum postulant; nec quisquam sane de altero monumento singulari cogitasset, nisi versus nonus adesset, qui loqui de eo videtur.

Haec dubia et difficultates, quas amplius vrgere nolo, optatum excitant, vt nobis facultas detur, illum versum alio modo explicandi; quod autem ita fiat necesse est, vt textui nec vim inferamus, nec cultrum criticum nimis audenter adhibeamus.

Emendator quidem alacris fortassis dicet: „versus „nonus est spurius, a descriptoribus et librariis intrusus, „quia et arabicae versioni deest:“ critica sublimior, quae minus ad verba, quam ad sensum respicit, hoc quoque in medium proferet, nexum, qui est inter versum octauum et decimum, eliso nono, summum, vt ita dicam, quaestuum esse facturum. Attamen caute et non nisi explorete violento illo critices remedio esse vtendum persuasi sumus, ne vnum criticam incassum ventilemus, antequam reliquis interpretationis subsidiis periculum fecerimus.

Textibus vexatis subsidio veniunt: 1) variantes lectiones, 2) versiones antiquae, et 3) patres ceterique interpretes.

Ver-



Verba textus originalis sic sonant:

וּשְׁתֵּים עָשָׂרָה אַבְנִים הָקִים יְהוֹשֻׁעַ  
 בְּתוֹךְ הַיַּרְדֵּן תַּחַת מַצֵּב רַגְלֵי הַכַּהֲנִים  
 נִשְׂאֵי אֲרוֹן הַבְּרִית יְהוָה:

Euoluimus libros Veteris Testamenti *manuscriptos*, qui antiquissimis accensentur, bibliothecae ministerialis, quae hic est, thesaurus praestantissimos, nec non opera *Kennicotti* et *De Rossi*, in quibus libri manuscripti Vet. Test. collati sunt, opera splendidissima aequae ac critico aestumatisissima, quae bibliothecae dictae ornamento sunt, sed nullas variantes lectiones, quae lucem nouam huic versui accendere possent, non nisi variantes in leuioribus, inuenimus.

Ex antiquis *versionibus*, quas Polyglotta Londinensis, (eiusdem bibliothecae peculium) exhibet, quaedam hic sunt notanda.

Versio antiquissima, *alexandrina* habet: Ἐσήσε δε Ἰησους και ἄλλους δωδεκα λοιθους ἐν αὐτῶ τῶ Ἰορδάνῃ, ἐν τῶ γενομένῳ τόπῳ ὑπὸ τοὺς ποδας τῶν ἱερέων τῶν αἰροντῶν τὸν κίβωτον τῆς διαθήκης κυρίου, και ἐῖσιν ἐκεῖ ἕως τῆς σημερον ἡμερας. Editio Breitingeri huius versionis, vulgo septuaginta interpretum, notat ὧ και ἄλλους“ tanquam verba dubia.



In Origenis *Hexaplis*, graecarum versionum ceterarum reliquiis *Aquila*, *Symmachi*, *Theodotionis* cet. (ex ed. Bahrdtii) nil est animaduersum.

*Chaldaea* versio, i. e. Targum Ionathanis eodem legit quo hebraeus textus modo. וְחָרְתָּ עֲשָׂרִי אֲבָנִיָּא אֲקִים  
וְחֹשֶׁעַ בְּנֵי יֶרְדְנָא כְּאַתֵּר מִקָּם רַגְלֵי בְהֵנָא

*Syriaca* versio: ܠܘܘܘܢ ܕܥܫܪܐ ܐܒܢܝܐ ܐܩܝܡ  
ܘܚܪܬܐ ܥܫܪܐ ܐܒܢܝܐ ܐܩܝܡ ܘܚܪܬܐ ܥܫܪܐ ܐܒܢܝܐ ܐܩܝܡ  
ܘܚܪܬܐ ܥܫܪܐ ܐܒܢܝܐ ܐܩܝܡ ܘܚܪܬܐ ܥܫܪܐ ܐܒܢܝܐ ܐܩܝܡ

*Arabicae* versioni totus hic versus deest.

*Vulgata*: *Alios quoque* duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alveo, vbi steterunt Sacerdotes, qui portabant arcam foederis: et sunt ibi vsque in praesentem diem.

*Patres et interpretes*, quos inspeximus omnes, vel bis duodenos lapides positos fuisse autumant, vel rem plane non tangunt, e. g. omnes illi auctores qui in *Criticis sacris*, horum supplementis et in *Poli* synopsi comprehensi sunt.



In *Bibliis cum Masora*, quae critica *Judaeorum* sacra est, magna et parua, selectissimis interpretum iudaicorum commentariis illustrata, a Io. Buxtorfio indefesso labore et paene herculeo Basileae 1619, 4 vol. in folio editis, huius studii amator folio רלח (238) varias quidem adnotationes, Rabbiorum, compendiis scribendi רלבג ורדק et רשי דיקטורום (i. e. Rabbi Daudis Kimchi, Rabbi Leui filii Gerschonis et Rabbi Salomonis Iarchi \*) inueniet, quae vero adnotationes nullam dubiorum antea prolatorum solutionem praebent. Quibus etiam versio iudaico-germanica, rabbinico characterè apud Bleau Amstelodami (aere iudaico 439 i. e. Chr. 1679) expressa, concinit.

His porro consentant versiones et explicationes, quas comparauimus, e. g. *Hieronymi*, *Brentii*, *Lucae Osiandri*, *Andreae Osiandri*, *Erasmii Roterodami*, *Tremellii et Iunii*, *Bezae*, *Castellionis*, *Raupii*, *Christoph. Starkii*, qui omnes „praeterea, et alios“ inseruerunt.

*Tertullianus* absque dubio hallucinatus est, cum libro IV. contra Marcionem cap. 13 in arca foederis hos 12 lapides

B 2

con-

\*) Huius Rabbini doctissimi, vulgo *Raschi* dicti, opera manuscripta bibliotheca nostra ministerialis in duplo offert, quorum praecipue codex alter nitidissimis codicibus merito accensetur, quique, ut nobis videtur, orbi literario non satis notus est.



conditos dixit, et *Masius*, *Piscator* etc.; qui in vltiori ripa Iordanis positos eos affirmarunt, sed vtrique sententiae refragatur textus originalis, qui medium Iordanis alueum citat. Sed ne nimis longi recensione omnium opinionum fiamus, quas libris allegatis quilibet huius studii amator pro lubitu inuestigare potest, duas tantum versiones ecclesiasticas adponamus.

*Anglicam*: And Ioshua set up twelwe stones in the midft of Iordan, *in the place* where the feet of the priests which bare the ark of the covenant stood: and the are there unto this day.

*Gallicam*: Iofue *aussi* dressa douze pierres au milieu du Iourdain, au lieu où f' estoient arrestés les pieds des sacrificeurs qui portoyent l'arche de l'aillance: lesquelles sont (demeurées) là jusques à ce jourd'hui.

Quibus assentiunt versiones germanicae nouissimae  
 eaeque probatissimae.

*I. D. Michaelis* in versione V. T. Tomo V<sup>to</sup> (ed. 1774) sic expressit: „*Auch noch* zwölf andere Steine lies Iosua *im Iordan selbst*, da wo die Priester mit der Bundeslade gefanden hatten, aufrichten; und sie sind noch bis auf diesen Tag dafelbst zu sehen.“

Cel.



Cel. *Hezelius* versioni Lutheri addidit (v. Die Bibel A. u. N. T. Tomo II. p. 21. ed. 1788.) „Dies ist wieder *ein anderes Denkmal*, welches Iofua im Iordan an dem einen Ufer (nicht gerade in der Mitte, wie den Philologen bekannt ist) aufrichtete.“ Certum quidem est  $\text{בְּרֹחַי}$  non medium proprium, praecise sic dictum, seu, centrum in circulo indigitare, hoc autem loco, ob verba addita „*fluuii in alueo, ubi sacerdotes steterunt*,“ litus substituere nolimus.

Vt paucis absoluamus, quoniam omnes hi versum interpretandi modi dubia ab initio in medium prolata non satis soluunt, versum nonum ad verba sic vertimus: Und so richtete Iofua die (so eben gedachten) zwölf Steine aus dem Iordan, die unter den Füßen der Priester mit der Bundeslade *gewesen waren*, auf, so daß sie noch bis auf diesen Tag daselbst (*nämlich bey Gilgal*) zu sehen sind.

Putamus enim  $\text{בְּרֹחַי}$  non „*in medio*,“ sed (scilicet  $\text{בְּרֹחַי}$ ) *qui in medio Iordanis* (seu in Iordane) fuerant, i. e. *ex Iordane*, esse vertendum. Pronomen relatiuum  $\text{אשר}$  saepissime ex génio linguarum orientalium per ellipsin esse supplendum, omnibus harum linguarum gnaris satis notum est. Conf. e. g. *Glassii philologia sacra*, ex ed. Dathii 1776 p. 171 sq. *Schröderi*, instit. ad fund. ling. hebr. p. 253. edit. Vlmens. 1792, aliorumque libri grammatici probati, e. g. *Michaelis, Hezelii*. — Quibus paucis omnis causa dicta est.



Alio etiam modo hunc versum vexatum fortassis vertere possemus, sic fere: „Quos duodecim lapides *deportari iusserat* Iosua e Iordane, et quidem ex eo loco, quo sacerdotes steterant, in illam regionem Gilgalensem, in qua erigebantur.“ Nam  $\square\text{p}\bar{\text{a}}$  non solum denotat „erigi iussit“ sed etiam significare potest „deportari iussit.“  $\square\text{p}$  enim est surgere, in Hiphil proprie „surgere facere, i. e. eleuare, hinc sustollere, auferre.“ Cui explicationi priorem allatam iam praeferimus, quippe qua omnia verba proprio et visitissimo sensu sumuntur.

Fons et scaturigo erroris interpretum erat versio Alexandrina, quae prima „*και άλλους*“ verba, textui originali plane peregrina, intrusit; quam secuti sunt Chaldaeus, Vulgatus et inde plures alii. Solus Syrus nostrae explicationi fauet. Nisi omnia nos fallunt, nostra versio probatur a consilio et ratione totius huius historiae, a nexu, et a grammatica. Nil nisi ellipsis notissima suppletur. Nexus pro ea militat, quia in toto capite de *unico* tantum monumento Gilgalensi sermo est; rationi et consilio conuenit hoc monumentum Gilgalense, quia est *durabile* et hominibus *conspicuum*, quodque patres filiis interrogantibus dicto modo explicare poterant; quae omnia multo aliter et variis difficultatibus inextricabilibus obnoxia manerent, si antiquiori et recepto explicandi modo assentiri mallems.

Iam nos conuertimus ad id, de quo hoc praefatione quaeleunque deflexit. Quanquam Diogenes Synopeus,  
 teste



15

teste Platarcho, (de animi tranquillitate) peregrinum quendam conspiciens, sese studiose ad ferias solemnes componentem: „quid facis? Annon quilibet dies viro honesto festus est?“ dixit; attamen festorum christianorum utilitas eorumque grauitas tanta est, et rationes eadem celebrandi tam eximiae et illustres sunt, vt ad ea pio animo recolenda merito nos inuicem incitemus: homines enim sumus, hoc est, vt ita dicam, entia (creaturae) quorum rationi purae sensus ita sunt additi, vt ratione sana et pura non semper, sed frequentius rerum sensibus percipiendarum studio ducamur.

Frequentemus itaque templa, perpendamus in his coetibus, religioni et honesto sacris, magna illa beneficia, quae Saluator noster, cuius diem natalem iam sumus celebraturi, nobis beneuole obtulit.

Preces fundamus pro incolumitate atque salute EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS FRIDERICI CAROLI IOSEPHI *S. sedis Moguntinae Archiepiscopi, S. Rom. Imperii per Germaniam Archicancellarii, Principis et Episcopi Wormatiensis* cet. maxime pius, *Cuius* studium indefessum nos omnes felices reddendi, notissimum est: *Huius patris patriae* beneficiorum, quibus nos regimine iustissimo aequae ac lenissimo adfecit, magnitudo postulat flagitatque nostros animorum gratissimorum studium ardentissimum.

Deum



Deum quoque rogemus oremusque vt REVERENDISSIMVM AC ILLVSTRISSIMVM DOMINVM, DOMINVM CAROLVM THEODORVM ANTONIVM LIB. BAR. DE DALBERG, *Archiepiscopum Tarsensem, Coadiutorem Moguntinum, Wormatiensem et Constantiensem, nec non ciuitatis et territorii Erfordiensis Proprincipem, Dominum nostrum clementissimum* cet. reipublicae Erfordiensis statorem, literarum fautorem integerrimum protegat, eumque in salutem reipublicae longissimum vitae humanae spatium beatissime emetiri iubeat.

Publ. sub Sig. Rect. Festo natiuitatis Iesu. 1795.





Fd 29 79

ULB Halle 3  
002 711 796




TA > 0C

N.C.











12

ACADEMIAE ELECTORALIS ERFORDIENSIS  
R E C T O R  
CVM  
SENATV ACADEMICO  
SACRA I. C. NATALIA  
PIE CELEBRANDA  
CIVIBVS INDICVNT.



6.

---

IN EST  
DE DVODECIM LAPIDIBVS IN IORDANIS ALVEO ERECTIS,  
AD IOS. IV. 9.

---

5-8-8

ERFORDIAE 1795.  
LITTERIS IOANN. CHRIST. GOERLING. ACAD. TYPOGR.